



...slaus

Czarnkowska Anna

Soc. Jesu Coll. Posn. Studiosae Juv. Myrtus nuptialis seu ad Illmi et Magnif. D. D. Stanislai Przyjemski auspicatissimos cum Anna Czarnkowska hymenaeos syncharitici cantus



MYRTVS NVPTIALIS

SEV AD

ILLVSTR: ET MAG: DOMINI,

D. STANISLAI PRZYIEMSKI

KONINENSIS &c. CAPITANEI

AVSPICATISSIMOS

CVM

ILL. & MAG: VIRGINE DN.

D. ANNA A CZARNKOW

CZARNKOWSKA, ILL. DOMINI,

D. ADAMI SANDI-VOGII A CZARNKOW

CZARNKOWSKI, PALATINI LANCICIEN.

Maioris Poloniæ Præfecti Generalis

FILIA.

HYMENÆOS

SYNCHARITICI CANTVS PRÆSIDE PHOEBO MV-SIS CANENTIBVS CONCINNATI

ET A

NOBILI AC STVDIOSA IVVENTVTE COL-legij Posnaniensis SOCIETATIS IESV excepti.

ILLVSTR: SPONSIS oblati DEDICATIQVE.

IN STEMMA GENTILITI-
VM ILL: NEOSPONSI.



QVA TANDEM DOMITVS FVROR IMPER-
TERRITVS ARTE,
FLECTITVR IN MAGNÆ VIRGINIS
OBSEQVIVM.

PARET

PARET ET IMPOSITVM GESTAT SINE PONDERE PONDVS,
SENTIT ENIM NVNQVAM IN PONDEDERE PONDVS AMOR.
AT NON COMPEDIBVS NON VTITVR ILLA LVPATIS,
HVNC TAMEN AD NVTVM DIRIGIT ILLA SVVM.
SED FRVSTRA PEDIBVS, FRVSTRA ORI VINCVLA DEMIT,
INVICTO VICTVM SI COR AMORE TENET.

LVCAS MIELZYNSKI.

TOSZ PO POLSKV.

IAkim fortelem táki zwierz skrocony,
Sstał się podnożkiem v zacney Bellony,
Nie ćiężki ćiężar to ná iego śiły,
Zbyłby go snádnie, iedno ze mu miły,
A śmiáła ieżdzcá kiedy nim kieruie,
Pętá, wędzidłá nań nie potrzebuie.
Nic ná tym ze mu wolność darowáłá,
Gdy serce skrytym węzłem vwichłáłá.

ADAMVS ROZRAZEWSKI.



IN STEMMA GENTILITIVM ILL: NEOSPONSÆ.



FASCIA CZARNKOVIÆ RVTILANS IN STEMMATE GENTIS
O QVANTVM NEXV COLLIGIS VNA TVO.

QVICQVID ID EST DECORIS QVO SARMATIS ORA SVPERBIT,
ID TOTVM IN NODVM COGIS ABIRE TVVM.
HIC ETIAM ASTRÆAM REDVCEM QVI DVCIT OLYMPO
VRSVS, IT IN LAQVEOS PRÆDA FVTVRA TVOS.
IT TAMEN, ET VINCITVR; AT HAVD INVITVS, EIQVE EST
HOC, NON LIBERTAS, GRATIOR IPSA IVGO.

WLADISLAVS ROZRAZEWSKI.

TOSZ PO POLSKV.

Szláchetny węzle iák wiele zacnośći
Záwárłeś rázem w twoiey okrągłośći.
Gdzie? kogo? iaka? zacność ozdobiłá,
Coby ſię w ten twoy zwiazek nie skupiłá?
Y ten co śliczną korzyść gdzieś vwodzi,
Prozno twey mocy byſtry zwierz vchodzi,
By tez y mogł vyść, nie ieſt iego wola,
Słodſza nad wolność w tym węzle niewola.


NICOLAVS GOSTINSKI.



EQVIDEM QVANTVM VEL LEGI, VEL VIDI, DICERE AVSIM, VBI PVLCHRE INTER MARITVM ET VXOREM CONVENIT, NON TANTVM BONOS CONIVGES DICI; SED ETIAM SANCTOS HOMINES APPELLARI POSSE. ETENIM TANTA SVNT CONIVGIJ ONERA, VT SVSTINERI AC TOLERARI CITRA GRANDE MERITVM NON POSSINT. Horol. Princip.

AD





AD ILL: ET MAGNIFICVM DOMINVM,

D. STANISLAVM PRZYIEMSKI.

KONINENSEM &c. CAPITANEVM, NEOSPONSVM.

IOANNES A LESZNO LESZCZYNSKI.



FUerunt antiquitatis Studiosi Vestigatores ILLVSTRIS & MAGNIFICE DOMINE, Symposiastarum olim ita legibus definitum fuisse, vt, vbi definito consedissent conuiuæ ordine, iam etiam Vinis appositis, ramus MYRTI inferretur, isque alteri ab altero, quotquot adessent porrigeretur. Fiebat id, permultis quidem, atque etiam (vt vetustas, Græca præsertim nusquam non superstitiosa fuit) mysticis de causis: sed inter reliquas, tum indicendæ indicandæque hilaritatis gratia, tum vt prætento MYRTI ramo, partes vnusquisq; suas, tantò libentiùs, quantò festiuiùs occineret. Enimuerò ritus iste, tunc vel maximè ratus fuit, quando Cypri potens Diua Cytherea, choros ducere, Hilaria agere, & Nuptialibus sacris præsidere alicubi debebat. Tum enim neminem non decebat, *Viridi manum, nitidumque caput impedire* MYRTO: tum MYRTEAS dicare statuas, tum cantus etiam ad MYRTVM geniales ciere solemne erat, sacrum, vsitatum. Suspicaris facilè ILLVSTR: & MAGNIFICE D. quorsum hæc mihi de MYRTO antiquorum narratio. Nimirum dies iste Tuus, quem fauentibus Superis celebras, Mercurium tibi supplet, & quorsum sese mea circumagat Oratio interpretatur: sed tamen etsi tu rem tangis planè, agam nihilominus & ego meum mihi Hermen. Aderat dies ista, Tibi ILLVSTRIS & MAGNIFICE D. Nuptialis, in quâ Tu, datâ acceptaq; cum fide dextera, Nobilissimæ CZARNCOVIORVM Gentis ornamenta, Nobilissimæ Tuæ PRZYIEMSCIORVM Familiæ decora in Te vno ac primo coniungere, mutuoque inserere decreueras; cum PHOEBVS, qui non ea solùm, quæ

iam Parcæ in manibus habent fata nouit egregiè, ſed etiā venturi non inſcius æui, Vatum parens, Vates & ipſe eſſe gaudet, cogere ceſſantes interea SORORES, & tanquam magnis de rebus, vt re vera erat, dicturus eſſet, Negotium, haud quidem ignaris ac inuitis, Verecundantibus tamen, & neſcio quo præſagio, tantam illam cogendæ mox in vnum Sarmatiæ lucem ſuffugientibus, exponere, illicò etiam imperia edicere, nec nō ſtatim quæ præcepta eſſent, inter manus eſſe velle, cæpit. *Elaboratis* (aiebat) *fucate artibus nil hic opus, nil ementitis laudibus, nil affictis ſplendide ornamentis, nil numeratis ab Iuli vſque ſanguine ceris: ſatis ſuperque ornamentorum, titulorum, laudum, gloriæ, virtutis, lucis, antiquitatis eſt, immo & ſupereſt vtrinque. Et quia tanta ſunt tum numero, tum mole, vt ea vel recenſendi ſpes facultasque nulla ſit, ſuperſedendum his ſatius conſulo, quam illo vnde exitum inuenire non queas, pedem auſu temerario inferre.* Dixerat PHOEBVS: dictumq; ſatis putabat; ſed enim vbi ſilētio & inſolitā confuſione animos Cōcilij ſui Diuin⁹ Præſes occupatos aduertit, id quod erat internoſcēs: *Ex veſtro* (inquit) *ſenſu, quid oneris in præſentia impoſuerim, non ſolum video, ſed plane ſentio: attamen eloquar, quid velim, luculentius. Dilaudationes familiarum, quarum nunc connubialia coeunt in fœdera dextræ, nolo. Maiora viribus audeat, quiſquis id audeat; aliquid tamen aptum vobis, gratum Illis, non ego, ſed rei Dignitas exigit.* Finierat, & MYRTVM, quæ forte manum occupauerat, Calliopeæ tradit, quam cæteris Sororibus porrò traderet, Hilaritatem indiceret, inchoaretq; cantum: Illæ verò imperata gnauiter exequi aggreſſæ (Dictatoria enim edicta ſciebant eſſe quæ acceperant, quibus contrauenire Capital ſit) pro viribus ingenioq; laborare (ſi tamē canere labor aliquis eſt) intenderūt. Et nata eſt Dictante PHOEBO, Muſis præſtantibus hæc Tibi ILLVSTR: & MAGNIFICE DOMINE Hymenæa MYRTVS, Nuptialiſque Gratulatio. Non par illa CZARNKOVIÆ, non par PRZYIEMSCIÆ Amplitudini fateor, ſed nihilominus debita vtriuſque veſtrûm Dignitati: Hoc nemo negauerit niſi aut neſcius, aut temerarius, aut ingratus. Accipies ergo ILL. & MAG. D. *fauſtiſsimis Tuis Hymenæis* Parnaſsica Hilaria concinnata, minora Te, & ideo nequaquam Tua, Tua tamen, quia Tibi iure quàm quo optimo deſignata, accipies, inquam, Tuo animo, hoc eſt beneuolentiſsimâ Tuâ humanitate ac facilitate. Et quando hodie aut deinceps grauiſsimos Patriæ Patres, ampliſsimos Senatores, cæteroſque Poloniæ antiſtites, Tibi congratulantes applaudenteſque digno animo excipies & attendes;

tendes; ad has etiam Apollineas admurmurationes, vel postremò & vbi otium fuerit, generosos eruditosque Tuos oculos & animos conuertes, & omnia non tam è re suâ, quæ nulla est, quàm è voluntate quæ tota Tua est, ponderabis.

INtenderunt ergo animos Hyantiæ Sorores, & principio quidem silentium tantisper fuit: tum mutuis adnutantes adspectibus, seq; haud imparatas, modesto, certo tamen symbolo declarantibus, de communi Consilio tentare primum, & vires suas nonnihil explorare placuit. Suspensò hic vocum sono vsas esse Deas, vel inde constitit, quod inter plurima suauissimaq; cantica, Hæc tantummodo obseruare licuit industriæ

PREDESLAI à Leszno LESZCZYNSKI.

CHORVS MVSARVM.

SPONSE nostræ mens loquelæ, SPONSE nostris cantibus
Insonande, ter beatis personande plausibus,
Quem Venusta STIRPS adornat Germinis PRZYIEMSCII,
Cui Venusta lege SPONSA iungitur Connubij,
Cui iubente, cui fauente Conditore syderum,
Læta cuncta, fausta cuncta prosperantur cælitus,
Ardui rident honores nobilisque gloria.
Multa nostro, magna nostro sufficis concentui,
Digna laude non mortali digna voce Virginum,
Quas Caballini fluenti doctus humor imbuit.
Quas Tuum sonare plectro Cynthius præconium
Iussit, & vires spopondit cespitanti barbyto.
Cynthium fas est iubere: iussa nos facessere.
Tu canentes SPONSE Musas, Tuq; SPONSA respice,
Tuque læta Nuptiali POSNA plaude Cantui.

Placuere dantia sese primis in experimentis exordia. Auctis itaque hunc in modum ausibus, Calliope, quam penes, Cantus principium arbitriumque Phœbo ita volente eo die fuit, quasi ans MYRTVM *sacram, suo suarumque nomine Sororum,*

ILLVSTRISSIMO PALATINO NEOSPONSAE PARENTI

gratissima, qua pollet plurimum voce, PRIMVM *suis ex* LIBERIS *Lætitiæ Solatiique* SVCCVM & FRVCTVM *gratulata est, aut gratulari voluisse visa*

WLADISLAO STRYKOWSKI.

CALLIOPE.

TRADE FILIAM, ET GRANDE OPVS FEceris, *& homini sensato da illam.* Ecclesiast: 7. 27.

ERgo venis optata dies, Lux aurea: portans
Magnanimo exoptata Viro, meritissima pridem
Gaudia. Laxato venientibus obuius, eia,
Pectore abi, GENEROSE HEROS, insignibus actis
Cognite CZARNKOVI, pressos perferre lupatos,
Agmine quæ veniunt Tibi Lætitiæ indignantur.
Et meritò; Quid enim tantis nisi gaudia restant
Commeritis? grandi expatrâsti carmine digna,
Digna Nouensilium quæ mascula metra sororum
Denarrent, atque in venientia tempora mittant.
Testis Amor Patriæ; patrio cum sanguine Diuus
Indulsit Tibi quem Genitor, summisque medullis
Indidit:

Indidit: ac illum Tu, nempe haut degener ales
Æternas meritis, longique annalibus æui
Decernis felix, & porrò in prole perennas,
Prole, Tuum quæ iam in Patriam condiscere amorem,
Virtutemque Tuam simili sub imagine gaudet.
Tu Tibi subnixum curis magnatibus orbem
Sarmaticum Virtute regis, nec sumptibus vllis,
Parcere consuescis; quin si quam publica cladem
Commoda formidant, fessis Tu primus adesse
Vis rebus, dubioque soles succurrere Regno.
Hinc Tibi larga manus dando est, hinc crebra clientum
Turba, hinc sunt animi faciles, hinc gratia, quâ Te
Summates paruique colunt, hinc publica laudum
Materies, plenoque stupens Orchestra theatro.
En quam blanda Tuo rutilat moderatio Vultu,
Hac summos imosque tenes, hanc suspicit orbis,
Quâ patet in totum Lechicus, lenique susurro
Approbat, admirans tales in Principe mores.
Tritonis Te Pallas amat, Tibi pectora casci
Consi cæcâ patent. Tibi seruit gloria Martis,
Tum cum bella vocant. Te mactat laude togata
Pax, & Palladiâ tibi tempora cingit oliuâ.
Quid? Pietas, ten' fors sileam! dignissima Virtus,
Cui primas dederit laudes sapientior ordo,
Et Dea virtutum Pietas, castissima Patrum
Prisca Fides, fœdam nullis quam erroribus vnquam,
Æternum constans sibi Gens CZARNKOVIA, seruat,
Tuque HEROS seruas. *Rara hæc laudatio magnis*
Gentibus. indulsit quibus hanc sed maximus ille
Rex rerum, aut ardens quas vexit ad æthera virtus.
Tolle oculos Generose HEROS, circumspice, quænam
Pompa venit, quod seque Tuis obtutibus infert (hæc
Agmen? Nunquid adest roseo Thaumantias ore!
Cygnæis aut vecta venit Cytherea quadrigis!
Aut Charitum triga, Eurynomos suauissima proles?
Fallor. CZARNKOAS inter pulcherrima natas,
Cui cedant Charites, cedat Thaumantias ipsa,
Virgo Viro iungenda venit, dignissima Virgo
Quam sibi. Præclarum Procerumq; Ducumq; Virorumque
Exoptet, Generis decus adiungatque PRZYIEMSCI.
Tolle oculos, iam pompæ auidos generose Dynasta,

Insignis pompæ, facit illam SPONSA, Tuarum
Altera NATARVM; Cernis, quàm purpurat illi
Ora rubor! rubet iste Tuo de sanguine sanguis,
Teq; refert; viden' vt dextram coniungere dextræ,
Insigni virtute Viro parat! At satis vrget
Te PATER assensus, tacitosque in pectore motus
Exstimulat, sensimque animum spes magna futuræ
Posteritatis alit, series ventura nepotum.
Pande animũ VIR MAGNE Tuum; surgentia vt intrent
Gaudia. tempus adest. hæc summus Rector Olympi
Prœmia virtuti, meritis poscentibus esse,
Principiumque iubet; Pande his tua pectora fatis,
Venturisque olim mentem successibus imple,
Iamque Tibi, iamq; & Patriæ gratare nepotes,
Heu quales quantosque olim! nisi nescia vinci
Iam tua se summo posuisset culmine virtus.
Illis non alijs fuerat vincenda, tuisque
Si quid adhuc vsquam posset virtutibus addi,
Æquarent pleno mensuram fœnore stirpis.
Hanc tibi Cœlipotens sortem melioribus orsis,
MAGNE HEROS, & Sarmatici vena aurea Regni,
Impluit, ac porrò parilem venientibus annis
Spondet. Tu PRIMOS aude iam carpere FRVCTVS,
Augere & primam meliore nec omine SPONSAM
Desine; quin patriis illam succrescere votis
Vsque etiam facito. Deceat Vir Celse Tuorum,
Principio decorum lætam hanc præponere frontem.



Cantum

CAntum Calliopes applausus auditorum omnium subsecutus fuerat. Hoc excitata Vranie, assurrexit conscia & ipsa suarum virium, sed addiderat præterea stimulos sororis æmulatio. Itaque vt est facile promptumque in omnes se transferre figuras isthoc Dearum ingenium,

ILLVSTRISSIMAE LENCITIENSIS PALATINAE

personam tantisper assumere, eiusque de nomine ILL. NEOSPONSÆ *applaudere decreuit, quod & præstitit ita concinne & argute, vt omnes huc neruos applicuisse putaretur. Et applicuerat. Sic enim fide qua qui optima adnotauit*

VENCESLAVS à Leszno LESZCZYNSKI.

VRANIA.

INnuecta cœlis Mater amoribus
Memet ministram præstituit suis;
Non abnui, imò facta MATER,
ANNA, Tuî, rediuiua feci
Materna amoris flamina: Iam nouis
Stat immorari plausibus, in Tuos
Cum Nuptialis commigrare
Vult animos Hymenæus. Ergo
Quod MATER vnquam pignoribus bene
Precata dixit, quos in amoribus
Scrutata plausus suscitauit,
Hoc ego & hos bene comprecari
Conata plaudam. Fors aliqua ingeret
Se plausuum pars MATRIS in intimos
Cœli recessus, cum iugali
CZARNKOVIOS radiare fasce
Fasces videbit. Tu modo nobiles
Æquata tantis concipe spiritus,
Applausibusq; cantibusque,
Quæ fueris modò, semper esto.

FÆcundos facundosque Cantus, Sororum festiuissima Polyhymnia excipere parat, & omnium in eam conuersa tenebantur ora atque oculi. neque illa deerat officio; sed sua ipsiusmet Hymnidica copia præpedita, tantillum colluctabatur, vnde ordiretur telam. Rupit tandem silentium, & tarditatem ita elegantiis, leporibus suffecit, vt liberalissimas etiam a Sororibus consecuta sit approbationes. Ceterum hymnis eius FRATERNVM

ILL. WLADISLAI

SPONSÆ *Germani* AMOREM, *Materiam dedisse intellexit*

MARTINVS GRZYMVLTOWSKI.

POLYHYMNIA.

AMor videndi proripuit meam
In multa mentem, multa tuentibus
Per multa vasti regna mundi
His oculis: placuit redire,
Et visa Regno voluere patrio;
Cum pulchra toto personuit Polo
Vox, ANNA Regni flos, domusq;
CZARNKOVIÆ columen, maritas
Faces volutat, iuncta penatibus
PRZYIEMSCIORVM. Quis mihi gaudia
Delapsa cœlo promit? O beatos
Quos hodie meditaris ignes!
Quis crescet istis splendor ab ignibus,
CZARNKOVIANIS addita dum rogis
PRZYIEMSCIANÆ Fax lucernæ
Lechiadum radiabit orbe?
Tandem SORORIS FRATER amabiles
Prælibo fructus, Tu, SOROR inuicem
Agnosce FRATRIS Nuptiales,
Queîs Tua vota colit, Fauores.

PEne indoluerat Erato, Amorem, Regnum videlicet suum sibi praeripi; sed posteaquam diligentius, vt sagacissimi est Dea ingenii, rerum, quæ præ manibus erant, naturam amplitudinemq; inspexit, nec non MYRTVM viriliter excussit, Ingeniosi amoris Deæ, quod de amore diceret, deesse non potuit. Itaque

ILL. SORORVM

SPONSÆ NOVÆ amoribus & fauoribus indulsit, & pro sui moribus ingenii, non minus neruoso quam facundo incinuit Melodiarum genere, quas quidem istius ad instar modi fuisse attestatus est

NICOLAVS CIELECKI.

ERATO.

FIrmum, nec vnquam dissociabilem
Laxare nexum stat SOROR optima?
Linquis SORORES & iugales
Corde faces inamare tentas?
Cuius calores Fax redolet Tua?
PRZYIEMSCIORVM? linque Sororios
I linque nexus, nil moramur,
CZARNKOVII noua dum nitescat
Penatibus Lux. I, Tua Faustitas
In vota tendat, profluat vbere
Cornu beatricis cateruæ
Copia, quâ geminata surgat
Magno PARENTI lætitiæ seges,
Qui tota in istas gaudia distulit
Faces sororis, lætus vnâ
Se face progenuisse binas;
Linque ergo nexus ANNA Sororios
Lumenque nostris adde Penatibus,
Et optimo plausus PARENTI
Adde nouos, gemitusque pelle.



APpetentissima Gloriæ præ cæteris Deabus Clio, in omnem canendi interea occasionem intenta fuit, adeo quidem vt nisi Antistitis Phœbi frenasset impetum reuerentia, pridem prævertisset cantu reliquas. Igitur quo tacuerat diutius, tanto auidius doctam fidibus applicuit manum. Et magno sane conatu rem egit. Gloriæ namque famosique argumenti copiam indepta, in suo se Regno iactabat amplissime, adeo vt quasi elinguem quamuis adhuc

FRANCISCVM

Nobilissimæ NEOSPONSÆ FRATERCVLVM, *suæ tamen testitudini admouerit, eamque crispare iusserit. In quo nihilominus quantam consecuta sit gloriæ commendationem, is qui canentem excepit, iudicandum exhibet*

IOANNES PAC.

CLIO.

SI quos minori lingua potest sono
Creare plausus, si dare nuntia
Cordis disertas pullulantis
Lætitias, eat in iugales
Plausus SORORIS tota, eat in faces
Denuntiandas, quas SOROR intulit
PRZYIEMSCIANO de nitore
CZARNKOVIIS generosa signis.
Quæ prima tingat labra, sit vnica
Hæc vox: Perenni lætitiam gerat
SOROR virentem flore, nunquam
Læta sibi doleat fuisse,
Quæ nunc capessit, vincula, sentiat
Semel calentes nulla tepescere
Per lustra tædas; fida semper
Fœdera det capiatque. Sic sic,
SOROR precari condecet, vt meo
Sanguis precatu CZARNKOVIVS magis
Illustris exstet, cui nepotes
Posteritas bene grata seruet.

Clius

CLius Industria cum examusſim in omnibus delitiarum legibus placuerat, tum vero in puerili quamuis manu tam ſcite ad numeros moderanda, meruerat mirabilitatem. Certe Terpſichorem ita rei nouitas simul ac ſuauitas teneritudoque tenuit, vt oblita quid agere incumberet, quidue ageret ignara, adſuetos choreis expedire pedes cœperit. In tempore tamen rumpit cantum, obtrudit MYRTVM *Clio, quo illi ſimul aurem vellit & ad officium deducit. Et ipſa igitur Nuptialis Hilaritatis communia acroamata prehendens, vocem ad blandiſsimas inflexit Melodias, & huiusmodi ſonitu, ſui Auditoris aures impleuit*

PETRI KONARZEWSKI.

TERPSICHORE.

Domus & diuitiæ dantur a parentibus, a Domino autem proprie vxor prudens. Prouerb. 19.

ERgo flagellas farta per horrea
Maſſam, calentem gryphis in Vnguibus
Ditemque ſcitè fruge ſulcum
Arbitrio genitoris vrnæ?
Carpit nepotum poſthuma linea
Hæres arenæ, tortile cymbium,
Crocóque puro pegma lætum
Per gerulas laquearis oras.
Quiſquámne natus ſydere dextero
Fatale plaudit? vertice cui domus
Faſtigiato raſa ceſsit
Mentoris ex graphio parentis.
Pennâ ſat vxor prodiit auſpice
CZARNKOVIORVM ſanguine nobilis
Quam vexit aucta dote virtus
In titulos melioris æui,
Prudenter hauſit moribus æmula
Dotes auiti filia ſanguinis,
Germana proles hæc Parentis,
Degeneres fugit vſque mores.
Iam copulatur per DOMINI Manum
Matura SPONSO: dextra præit Dei

Criſpatque nuptialis auræ
Pneuma faces patiturque ſolem.
Hæc nnptialis pompa præemicat,
Hoc entheatus numine dat melos
Hymen Tonantis, & Camænâ
Blandiſonâ thalamo miniſtrat.
Dat gratiarum Symbola viuida
Prudente iuncta Virgine, Nobili
Viro PRZYIEMSKI. Dos probata
Sæpè viro Pietas & vxor.
Prudente gaude conſociâ thori
Nunc SPONSE, diues cælite deſmate
Virtutis almæ gnara Virgo
Nubilis à Domino tenenda.

HActenus res Musis fluebant ex voto. Ad Melpomenem MYRTVS *vbi peruenit, ſubuereri omnes neſcio quid ſunt viſi: ne ſcilicet, vt est illa Dea ſubtriſtiori, minusque amæno ingenio, luctificum aliquid ad aures afferret:* Ipſeque *adeo Phæbus auerruncandæ cauſa tristitiæ, tum alia, tum barbyta iam ſpectabat, cum ecce omnium præter expectationem tantam ſubito elegantiam, hilaritatem copiamque, ſeuerior ſcilicet illa Dea, ſuos ad modulos attulit, vt nec* Polychymniæ *nec vlli Sororum herbam porrexerit; ſed immo palmas omnium dubias fecerit. Stupuit hilarior Cynthius, stupuere Pierides. stupuit & is qui canenti obaudiit*

STANISLAVS NIEGOLEWSKI.

MELPOMENE.

ILluſtre tandem par Tibi Coniugum
Benigna faſtos reddidit exitus
Fortuna: iam votis vtrinque
Flammigeris ſatis exolutum.
Partita caſtis pectora amoribus
Irrupta ſtrinxit Faſcia. Pergite
C[illegible]tare tædis colligatis
Arctius; atque dies ſerenos

Ambo

Ambo beati ducite. Viſere
Nunquam penates audeat improba
Diſſenſio veſtros, ſacratum
Vnanimes decorate nexum.
Per vos Patriti gloria nominis
Expers: honeſtis poſteritatibus,
Occaſus, incrementa ſumat,
CZARNKOVIVM Domus & PRZYIEMSKI.
Fæcunda ſemper magnanimis viris
Domus popoſcit, Mars quoties. Toga,
Bellona ſenſit, vidit Aula
Intrepidos meritoſquе ciues.
Succede tantis ſoſpes honoribus
Proles Parentum nobilis. aſpice
Vt fertilis laudum ſuperſit
Condecoranda ſeges benè actis.
Certa reponi in deficientium
Splendore Patrum. ſic erit, vt mori
Nunquam vetus poſſit Tuorum
Fama, nouis iterum renaſcens.

DE industriæ, Melpomenem vt exciperet Euterpe, factum ab Apolline videri poterat, nisi ſpe omnium altius Melpomene curaſset negotium, ornaſsetque Spartam. Itaque non iuuandi ſed æquandi Melpomenem, ad Euterpen munus deſcenderat, nec illa certamen, quanquam sine certamine refugiebat; immo ne aſsymbola eſset aliis, atque Delectanti ſuo Nomini, oblectandique muneri factum ſatis iret quam abundantiſsime, id egit, omnes vt Delectationum Honestatumque leges expleret; nihil vt defæcatiſsimæ abeſset ſuauitatis, omnis denique generosioris argutiæ limpiditas redundaret, quod quidem fortunatiſsime perfecit attestatore

STANISLAO POGORZELSKI.

EVTERPE.

SVnt quos nefandæ Cypridos armiger
Blandisque caſſus luminibus puer,
Dum toxicato fixit ictu,
In thalamos rapuit procaces.

Sed quam ſceleſto pectora fœdere
Hymen reuinxit, tam ſubitò fera
Diſcinxit Alecto nefaſtos
Excutiens odijs amores.
Sunt quos iugales propulit ad faces
Plutus metallis turgidus aureis,
Vitæque blando lætioris
Illicio genius ſolutus.
Nec hos amænis ſors bona vultibus
Dignata multum; nempe Fauonio
Immiſit Auſtrum, qui tepentes
Frigoribus vitiaret auras.
Quin ipſa tetro lumine proſperos
Non paſſa ſponſos, in medios Eris
Malum retorſit, quod perenne
Litigijs generaret œſtrum.
At vos Nouorum Germina Coniugum
Prognata claris è Procerum thoris,
Quantum maritales fauente
Iungitis orbe polóque dextras?
Quos nec profanant tela Cytheridis
Non ampliorum feruor opum premit;
Sed pulchra Maiorum propago
Et ſuperæ iugat ardor aulæ.
Quibus bonorum Gargara ſpargere
Affectat amplus Nobilium chorus,
Poſnanienſi quotquot orbe
Heliadum genitor reuiſit.
Applaudit altus cælituum Parens,
In vota largas dum reſerat manus,
Et promit arca de polari
Delitias melioris æui.
Horreſce tantos diſsidij ſator
Grauare SPONSOS, dente vel inuido
Turbare coniunctas Duorum
Coniugij pietate mentes.
Excede primo liminis atrio,
Contentioſi progenitrix fori
Mens ſuſpicari prompta, & auris
In querulas patefacta voces.

Nam

Nam de supernis sedibus ætheris
Adsunt Ministri, fidus Amor, Fides
Deuota; mentes ille iungit,
Hæcce potens solidare iunctas.

VLtima Dearum ordine non dignitate Thalia, excepit MYRTVM. & quanquam sua sponte Nuptiali gaudet indulgere Cantui, tamen Paphiæ ramis succensa Deæ, auidius etiam suum aggressa est explere desiderium. Quare vt vel suum Nuptiale melos, vel ILL. NEOSPONSORVM *Hymenæi, tanto felicioribus initiarentur ominibus, vultu ad pietatem composito, Numinis inprimis venerationem spectantibus, suo exemplo impressit, mox ad elegantiam redux suam, voceque, gestuque, habituque sic cecinisse audita est a*

STEPHANO CIELECKI.

THALIA

DEVS ABRAHAM, DEVS ISAAC, ET DEVS *Iacob vobiscum sit, & ipse coniungat vos, impleatque benedictionem suam in vobis.* Tob. 7. 15.

PErgis paternum nomen in æthera
PRZYIEMSCIORVM gloria nobilis
Efferre? pergis firmiore
Consolidare statu iuuentam?
Emancipatus Sicelidum iugis,
Post visitatas Hesperiæ plagas
Auctam Mineruæ opimitate
Aduehis in patriam liburnam!
Pergis Monarchæ Sarmatici decus
Gradus in altos scandere nominis?
Et vberes secretioris
Obsequij glomerare fructus?
Perge ô PRZYIEMSKI, perge bono omine,
Faustis susurrent cantibus oscines:
Tot Herculano dignitatum
Robore dum meditaris ausa,
Cum Clara Proles CZARNKOVIÆ Domus
Connubialem consociat thorum:
Largos triumphantum Corona
Impluat indigetum fauores.

Ante hac coruſcans Gentis honoribus,
Suadâ, cadiſcis, conſilio, pedo
Cœli minatus aſteriſcis
Sauromatum radiâſti in oris,
Inauguratus cum thalamo, capis
CZARNKOVIANÆ vincula VIRGINIS:
Parti (ſtupendum) quàm flagrantes
Multiplicas decoris nitores.
Ganges vt Hermo vel Thagus affluens,
Maiora bullit fluminis alueo,
Midaſque Cræſo fœderatus
Promicat vberiore gaza,
Sic tu illigatus coniugio NVRVS,
Quam Patrij ornat Sella Senaculi,
Extendis orbe inæſtimatos
Gentis, honoris, opumq; aceruos.
Perge ergo fauſtas tranſige Nuptias,
Per teſqua produc nomen inhoſpita
Perge, & trecenta viue ſeclâ,
Inclyte STANISILAE viue.
Et Tu ſupernis aucta fauoribus,
Extende longis temporibus dies
O SPONSA, nec te ſorte, fata
Diſſocient metuenda, triſti.
Hæc vota celſi conditor ætheris
Firmet beatis conditionibus,
Sacroque mentes fœderatas
Perpetuet religare nexu.

Hæc

HÆc Thalia cecinit & conticuit, MYRTVMQVE, a quo primum tradita fuerat, Apollini restituit: silendo magis quam loquendo, oculisque placide conniuentibus Phœbum admonens, vt qui sibi ceterisque Sororibus porrecta MYRTO canendi autor extitisset, recepto eodem conuiuali ramo, ipse quoque hoc genus officii expleret, suaque dulcissima modulatione, tum Illustrium Nuptiarum hilaritatem ac lætitiam promoueret, tum suas Sororumque aures suaui harmonia permulceret. Arridere verecunde, ipsæ virginalis verecundiæ exempla Pierides, dataque Phœbo reuerentia, idipsum quasi exigere. Assensit continuo Phœbus, lyramq; auro præmicantem, ebore & gemmis variegatam in teneras procerulasque assumens manus, illecebroso digitorum impulsu adeo suauiter personare auditus est, vt assidentium Musarum sensus pæne omnes sensim surriperet. Notauit nonnulla haud tamen ad amussim, & hic legenda proposuit

CHRYSOSTOMVS OBIEZIERSKI.

APOLLO

PARS BONA MVLIER BONA IN PARTE TIMENTIVM DEVM DABITVR VIRO PRO FACTIS BONIS. *Eccles: 26. 3.*

TÆdas iugales turbinet ignibus
Sacris natantes Thesmophoræ manus,
Limenque verbena coronet,
Oebalios iaciatque flores.
Surgat niuali Mopsopius puer
Pallâ decorus, metra Talassio
Nuptæ maritet, cui ministrant
Mala Cydonia iam sodales.
Stat Caia magnis nata parentibus
Cui castus ignis lumina purpurat,
Et sacra virtus ora velat
Flammeolo âerij coloris.
Tange auspicatis CZANKOVII lares
Astris PRZYIEMSKI, copulet vt te Hymen
Tanto decori, quem venustat
Virgineus nitor atq; virtus.

Non te saburrâ Callaicâ aureus
Pactolus ardens, non Tagus attrahat
Fultus pyropis, non auitis
Atria imaginibus superba:
Quamuis propinquet CZARNKOVIVS decor
Cœlo his superbus, censeat & Duces
Qui vel togati vel sagati
Sarmatico nituêre mundo.
Virtutis astrum porrigit hoc decus,
Cui te perenni desmate fasciat,
Hac fascia, quæ tot Polonis
Magnanimos peperit Quirites.
Iam perge felix auspicio excitus
Virtutis almæ, porrige dexteram
SPONSÆ, beati si requiris
Ominis auspicium tueri.
Parti hunc secundæ Cælicolæ aggregent
Cui fœderatur SPONSA bono inclyta:
Diuos timentem hæc sors requirit
Præmium vt accipiat laborum.
Non sic, perenni tempore, diuite
Ostro superbus Cræsus, & aureis
Mydas arenis, glareisque
Attalicis Cleopatra floret.
Non sic coruscant Vere sata ebria,
Cum sol niuales excutiens globos
Ferruminat, baccæ, cruore,
Suppara, Troiugenûm parentis.
Vt celsa virtus lumina spiculat,
Quam non profanat temporis obsita
Canis vetustas, non Orexi
Inuidiæ stimulis superbus.
Ergo beato sydere prouola,
Sacros Eleusis quò ingeminet sonos,
Et præcinet festos camœnis
Lætus Hymen, geminetq; plausus.

Apollinis cantum ea qua decuit reuerentia & consensione Musæ probauerant. Iamq; peracta ea celebritas videri potuisset, nisi Apollo tantarum hilaritati Nuptiarum nondum satisfactum existimans, deniq; vlterioris cuiusdam gaudii cupiditatem non dissimulans, omissa paulisper suauissima testudine, GRATIAS, *quæ sub id tempus dulcissimo huius sacri cætus concentu, sedibus suis excitatæ, ad inauditum sonum admirabundæ forte concurrerant, propius iussisset accedere. His cum nescio quid secreto in aurem mussitauisset, illæ dicto statim audientes, facili quadam voluntate iussa Choragica executæ, vt manibus flore vario connexis astabant, ita mox Apollinis & Musarum fauorem apprecatæ, ad decorum quendam numerum agitare Choros cœperunt. Audita vero est Aglaia, inter venerandas Oceani neptes & dignitatis ordine prima, & venustate conspicua, & suauissima voce admiranda, inter molliculos, sed verecundos saltus occinere iucundissime, assumpto sui cantus ex Phœbi imperio argumento de laudibus* ILLVSTRISSIMI PALATINI *Nouæ* NVPTÆ *Parentis Panegyrim dicere. Canentem qui obseruabat* NICOLAVS OBIEZIERSKI, *is ipse fatebatur, argumenti magnitudine perculsam Aglaiam, metus sui verecundiam cum carminibus expressisse.*

AGLAIA.

QVis iste nostros pulsat obtutus graui
Specie verendus Præstes, Heros inclytus?
Decora quem tenace Maiestas pede
Circumsilit? quem gressibus stipat suis
Ministra virtus? latera cuius Lechici
Vallant frequentes Satrapæ, poneq; sequax
Iuuenum corona fronte lætitiam ferens?
Cerno seueram luminum elegantiam
Afflare lætos intuenti spiritus.
Cerno venustis excubantes in genis
Castum Pudorem & Dignitatis ordinem.
Diuina vultu spirat, & relucidum
Serenat ipso lætus adspectu diem.
Quem te esse dicam? quóue cretum sanguine
O Magne, magnis præsidere cælitus
Date populis, latè sago & toga potens?
Bene est. tenebras risit en Phœbus meas,
Risum merentes, agnitoque præcipit

Bene apprecari Principi. Tene video?
Ten' cerno Princeps? Te meis in pupulis
Venerande gesto? Agnosco CZARNKOVIÆ Domus
Illustre decus HEROA magnum, Lechici
Solem Senatus, Terra quo Lancitia
Gaudet Dynasta, Posna gaudet Præstite.
Agnosco dantem iura per Poloniæ
Maioris oras Sarmatis. Tantum caput
Tentare paruis Musa plectris audeat?
Exile carmen audij, & imbellium
Cantus Sororum carminis, præut Tui
Poscebat ordo. digna sic dignis piè
Reddunt camænæ? culpa turpis ingenI,
Et expianda versuum socordia
Meas aduret. IMPIVM EST SI QVID MINVS
DATVR MERENTI MERITA QVAM VELINT DARI. At
Quorsum relabor? Versuum sollertiam
Desiderat e quisquis in Musis parum
Disertus audet, ingenique copiam,
In igne quærit æstum, in Caucasi gelu
Ambit rigores. O meæ possent manus
Æquale carmen auribus profundere
Mundi allubentis! quicquid orbis possidet
Stellante nixus ambitu: quicquid poli
Sursum deorsum conditis successibus
Per astra voluunt: quicquid hybernum salum
Recondit alta fluctuum insolentia,
Olim Camænis sensimus concedere.
Te non Ianthæa lyra, non vocis sono
Ligant Camænæ: summa prædicatio
Minore cessat barbito. QVISQVIS LEVI
IN ALTA SCANDIT IMPETE AD TERRAM RVIT.
Testis paternas Icarus gemens vias.
Volucris alæ. testis igne syderum
Animare doctus impias imagines
Diro Prometheus obligatus aliti.
Me quanquam amica dudum cogitatio
Laudare Tantum ditibus præconijs
Heroa cogit: arte nil pollens meâ,
Nec ore compar laudibus, silentio

Testabor

Testabor artem Principi. LAVDAT SATIS
QVISQVIS PAVENTE LINGVA CONSTITIT SILENS.
LAVDARE NEMO DOCTIVS QVENQVAM POTEST.

Silentium Aglaiæ, Cantum Euphrosyne indixit. Inchoauit ergo gratiosissima GRATIARVM, *tanto quidem cum apparatu, vt deesset nihil: tanta cum suauitate, vocumque, fidiumque temperie, vt omnium aures, oculos, animosque caperet, tanta tamen cum modestia, vt si applauderet, immo & attenderet nemo. Nihilominus non solum spectatorem tenuit, auditoremque meruit, sed etiam non indiligentem obseruatorem nacta est*

DOBROGOSTIVM SOBOCKI.

EVPHROSINE.

CElebra noua gaudia Pinde
Fidibus noua gaudia prome,
Manibus quoque plaudite Musæ,
Ter in æthera tollite plausus
Ter in æthera tollite cantus
Super æthera tollite SPONSVM
Super æthera tollite SPONSAM
Vbi sol sua lumina tollit,
Vbi sol sua lumina condit.
Vbi nox atra contegit orbem
Vbi nox atra detegit orbem,
Noua gaudia dicite SPONSO,
Noua gaudia dicite SPONSÆ.
Bona dicimus omina SPONSIS,
Bona poscimus omnia SPONSIS.
PIETAS bona sospitet annos,
Bona PAX pia corda serenet,
AMOR inclytus innouet alas,
FIDEI sacra fœdera regnent,
SAPIENTIA diua triumphet,
PVDOR aureus atque perennes
Noua GLORIA crescat in annos,
OPVLENTIA diuite gleba,

Sata culta laboribus æquet,
Segetes sua commoda reddant,
Et in horrea fœta coloni
Croceas rota verrat aristas,
Vigeat reuolubilis ætas,
Aquilæ renouabilis ætas,
Veniat pede pigra senectus.
Bona diximus omina SPONSIS,
Mala pellimus omina SPONSIS,
Procul inuida corda facessant
Procul improba cedat egestas,
Procul ignea distet Erynnis,
Procul acrior exulet ira
Procul omnia tristitia prostent,
Prope singula læta propinquent,
Bona diximus omina SPONSIS,
Bona diximus omnia SPONSIS.

ADVERSÆ *iam* Gratiæ *dixerant.* Auersam *quoque ecquid dignum se, par Sororibus suis Pasithea adferret, omnes spectabant. Sciebat illa quid vellent; sed tamen pudore prohibita, auersos tenere perrexit obtutus: partim quod tanta insit huic Deæ verecundia, vt suas nunquam gratiositates cernere sustineat, nedum laudes audire; partim quod reuerberari aciem suam, aliorum, se cantante, demirationibus nollet. Quare etsi omnibus præsentibus, tamen quasi sine arbitris penitus esset, ita lusit, vt neque tripudiis abstinuerit. Qua ita sibi feruente, neque quid de se agerent alii aduertente, odeiorum eius partes, quantum assequi potuit, rapacibus auris subtraxit.*

NICOLAVS LESNIEWSKI.

PASITHEA.

DIgna SPONSO digna SPONSÆ,
Digna Musis carmina,
GRATIÆ nec pollicentur,
Polliceri nec queunt;
Sed pusilla GRATIARVM
Quicquid audent carmina,

Omne

Omne SPONSVS omne SPONSA
Lege certa vendicant.
O BONI, quibus choreas
Has solutæ ducimus,
Herbidæ per saxa molis
Perque amæna mænia.
O BONI, quibus reuinctas,
Brachiorum sertulas,
Consecrare læta nuper,
Chloris ipsa iusserat.
Illa Chloris, in viretis
Quam Fauonius suis,
Herbulisqué, floribusqué
Iura iussit dicere.
Illa frondeo è cubili
Floreoqué tramite,
Chloris ad meos citanter
Venerat nuper lares,
Tænijsque, floribusque
Colla, frontem, brachia,
Candidas inter Napæas
Gratias euinciens:
Illa dixit, illa vestro
Dona missa cætui,
Lege vobis illa tali
Condijt Fauonius,
Et lepore tinxit omni
Dulcis elegantiæ,
Vt NEOSPONSIS dicata,
Consecretis Gratiæ,
Atque certæ sospitatis
Deferatis omina,
Ergo munus, ergo donum,
Floreas catenulas,
Chloridos manu reuinctas,
Chloridos textas manu,
Quas dicamus, quas sacramus
Nuptiali gaudio.
Tuque SPONSE, Tuque SPONSA,
Fronte læta suscipe.
Tuque SPONSE Tuque SPONSA
Cantibus nostris faue.

Conticue-

Onticuerat Pasithee, & Phœbus missionem Concilio cogitabat, cum ecce squallidior nescio quibus e sepulchretis prorumpens ELEGEIA, *clauda quamuis altero pede, festinabat. Audierat quippe coactum esse ab Heliconis Præside diuinum Cœtum. At Phœbus & moram, & squallorem Deæ venientis auersatus, etiam antequam propius accederet, deponere luctum, sumere Hilaria illico non sine stomacho iussit. Iras eius his similes fuisse retulit*

THOMAS SLONECKI.

APOLLO

FLebilis atratis Elegeia túne capillis
Pallida sub tantis plausibus ora geres?
Vnica Phœbæis ausis tu abscedere iussis,
Vix Dea, Coricijs vix socianda choris?
Pone celer passos certà in statione capillos,
Incipe iam SPONSIS dicere metra nouis.
Cernis vt ad numeros numerent vestigia Musæ!
Quas Charitum choreas ternio cernis agat!
Aspice quàm festo resonet Posnania cantu,
Aspice quam niueis rideat illa genis.
Ipse etiam collis lectæ qui præsidet Vrbi,
Estq; domus Magnis pridem habitata viris,
Conscius insignis pompæ, leni impete, tardus
Subsilit, & SPONSIS orgia lætus agit.
Varta viden' quantum liquidis caput efferat vndis,
Et stiterit fluidas desidiosus aquas?
Scilicet ad tantos plausus lætissimus amnis
Hæret, & ad Thetias tardat abire domos,
Desertisque iubet vitulantia Numina lymphis,
In vitrea Cyprios vndâ agitare choros,
Sola taces Elegeîa reses. iam concute MYRTVM,
Iam dignum SPONSIS concipe læta melos.
Ergo agito, restringe comam, sic mandat Apollo,
Ac Hymenæisonos mandat inire modos.

SVb hæc Elegia, iram verita Principis, iam plane seipsam excusserat, iamque finem tantum irarum præstolabatur, cætera ad canendum & festiuitatem appositissime parata; adeo vt in ea nec Musarum suauitatem, nec Gratiarum elegantiam requireres. Desierat ergo detonare Phœbus, & illa protinus imperium cantumque orsa, plenissimo animo optatissimas NEOSPONSIS *Illustr; apprecationes deferendas dedit*

STANISLAO PROSKI.

ELEGIA.

INcipio, sic Phœbe iubes cui talia curæ,
Cuius & imperio barbita nostra sonant.
Ite elegi tristes mandante abscedere Phœbo,
Hymen adest mæstis parcite carminibus.
Hymen adest lætos iubeo ingeminare Talassos,
Hymen adest hilares ingeminate choros.
Hymen adest, Hymenæus Hymen noua gaudia poscit,
Este procul luctus, este procul lachrymæ.
Magnanimis festiua canam mea carmina SPONSIS,
Plena canam votis, plena canamque prece.
Quâ vos laude feram radiantia sydera Gentis?
Sydera Latois assimulanda globis.
Quàm vereor tenui minuam nè nomina versu,
Nomina Mæonijs concelebranda modis!
Nuto dein vario mentis iactatus ab æstu
Dum fugit, & quâ vos, nescio, laude sonem.
Hinc vocor ad vestrûm præstantia facta Priorum,
Hinc trahor antiquæ ad stemmata prisca Domus.
Hinc vtriusque nitor proprius rapit: inde pudicus
Hymen & occæptus connubialis honor.
Hinc vocat alba Fides, mensque omnis nescia fuci,
Quâ colitis castæ fœdus amicitiæ.
Hoc ago vestra nouus subeat quò tecta Talassus,
Alitibusque bonis ominibusque bonis.
Sic superum vobis generosa fauentia ludat
Nobile Par, raris nobile stemmatibus,
Sic lustrate diu sociali lampade terras,
Et serò astrigeri regna subite poli.
Crescat amor, crescatque fides, certissima crescant,
Spes meritò tanti, pignora, coniugij.

Este procul tristes curæ, procul absit Erinnys,
Nunquam non magnis inuida connubijs.
Vos pietas armet, vos fors fortuna sereno
Dispiciat vultu, dispiciatque diu,
Non vnquam vestris absint bona gaudia tectis
GAVDIA DE MAGNA PROFVGA SÆPE DOMO
Nulla animos vobis alternent tristia lætos,
Frigidus & fugiat limina vestra timor.
Nulla oculos vnquam vobis aduertat egestas,
Et paret insidias hostica nulla manus.
Inuidus à vestris nequeat marcescere rebus,
Nec velit è vestris crescere diuitijs.
Exsuperate Ambo Tithonica fata iuuentâ,
Tarda genas vobis ruga senilis aret.
Morbe procul, Funusque procul: tardato venire
Trux Lachesis quando rumpere fila voles.
Anni principijs læti, extremisque secundi
Currant; concordent vltima principijs.
Sic iuuet æternum differre in secula nomen,
Quod pia posteritas læta lubensque colat.

NEque hic stetit impensior quam spes erat Elegiæ ad canendum alacritas; verum etiam, credo vti tarditatem vbertate expleret, pro Musarum numero, nouem Stephanomata, ex Heliconiis viretis pampinisque defracta composuit, atque ILLVSTR: NEOSPONSIS *per manus candidatæ Musarum Iuuentutis* afferenda *&* offerenda *volente & fauente Phœbo tradidit.*

PRIMVM ITAQVE SERTVM LAVREVM
offerendum commisit
ALBERTO GRZYMVLTOWSKI.

LAurus frontis honos: virtutis præmia laurus,
Laurinum poscit mens generosa decus.
SPONSI vester honos, virtutis gloria, nec non
Exæquans patrium mens generosa genus,
Quid referunt laudis? quæ præmia digna reportant?
An qui vos ornet munere nullus erit!
Imò erit; & lauro præcinget tempora: poscit
Istud Honor, Virtus, Mens generosa, Decus.

Secundum

SECVNDVM SERTVM AMARANTHÆVM

suo vt nomine præstaret imperauit

MATTHIÆ GRZYMVLTOWSKI.

MIttitur Elysiis nascens Amaranthus in hortis,
Qui sit vestræ, Par nobile, frontis honos.
Nec frustra, longos vitam producere in annos,
Quos redimit, vitæ fertilis herba, vouet.
Nestoris, hac vinctos, iubeo sperare senectam,
Viuetis seros sponsus vterqué dies.

HEDERACEI, QVOD TERTIVM SERTVM

fuerat, offerendi curam suscepit

STANISLAVS ROZRAZEWSKI.

BAcciferis vernans Hederosa corolla racemis,
Pierio vobis munus ab orbe venit.
Illam quæ texebat, ait, Noua gaudia Sponsis
Nectimus, hæc illis nostra corolla ferat.
Ne dubitate sacrâ frontem redimire corymbo,
Gaudia quippe damus, quando ea serta damus.

IN QVARTO OFFERENDO EX ROSMARINI

ramusculis contexto, suas partes agere iussus est

PETRVS GRVDZINSKI.

ROsmaris est nobis Tymbræis carptus in aruis,
Rosmaris Hyblæis suauior vsque rosis.
Hoc capite ô Sponsi signum florentis amoris,
Amborum pariter sic reuirescat amor.

QVINTVM SERTVM MYRTEVM *commendauit*

ANDREÆ GRVDZINSKI.

MYrtus erat de quâ Nymphæ fecêre coronam,
Myrtus Acidalij filia pulchra soli,
Hæc dabit æternos longùm spectare nepotes,
Ac initi fructus carpere connubij.

SEXTI SERTI HYACINTINI DICA-
tionem mandauit
IOANNI OPALINSKI.

VT reliquis potior rebus ſapientia, primas
Sic inter flores flos Hyacintus habet.
Serta damus vobis geſtanda Hyacintina SPONSI,
Excelſo excelſum vertice ferte decus.
Et quoad ornabit frontes Hyacintus, adornet
Pectora veſtra ſuis culta Minerua bonis.

SEPTIMI SERTI CEDRINI PRÆSEN-
tandi prouincia impoſita
WLADISLAO OPALINSKI.

QVid petitis curæ? vitam tranſmittere luſtris?
Fruſtra eſtis: Parcæ viuere ſeclâ negant.
Digna CEDRO virtus, hæc confert præmia, cuî qui
Militat, inſcripſit nomina magna Cedro.
Hoc agitis SPONSI, celebres virtutis alumni.
Lambat honoratas CEDRVS amica comas.

OCTAVVM SERTVM DE VERBENÆ
foliis concredidit offerendum
ALBERTO KAKNKOWSKI.

VErbenâ patribus Sponſas mos cingere priſcis,
Hanc ferimus veſtras ornet vt illa comas.
Optamuſque ſimul dium virtutis amorem,
Quo ſine vilis amor, quo ſine nullus amor.

NONVM SERTVM ROSEVM
vt ſuperadderet dedit
IOANNI BOBOLECKI.

ARdua ſpina nocet; Roſa ſed placet; illa cruentat,
Aſt hæc delitijs ſcit recreare ſuis.
Spina Roſis, ſpiniſque Roſæ nectuntur; amaris
Dulcia iunguntur, triſtia lætitijs.

Do roſeos

Do roseos flores, SPONSI, roseamque coronam;
Sed sine spinosis munera sunto rubis.
Viuite florentes annos, præstate rosetis,
Cedant à vestro spinea serta iugo.

Sertis cum omni decentia, ministra Nobilissime Iuuentutis manu, præsentatis, noluit supersedere Dea, quin in Pronubum ILL. SPONSORVM *Annulum quoque luderet: lusus eius excipiente*

ADAMO PALECKI.

I.

Res gestas alius digitali sculpsit in auro,
Scintillans alijs stemmate gemma placet,
Plurima CZARNKOVIÆ Gentis vel gesta PRZYIEMSCÆ,
Non si magna fores gemmula ferre potes.
In te sculpta velim desponsæ fœdera dextræ,
Sic sic dextra gerat, quam dedit ipsa fidem.

II.

Pulcher es, & diues: verum tua maxima laus est
Annule, quod SPONSOS nectis amore pares.

III.

Qui fuerat SPONSI, iam SPONSÆ est annulus. Ipsa
Iam facta est Sponsi, quæ sua Sponsa fuit.

Admiratus APOLLO *vnde tanta illi alias pedore squalloreq; obsitæ Deæ, non dicendi copia solum & ornatus, sed multo maxime lepos & iucunditatis redundantia, nimium quantum negotii tam ardui, tamque sibi expetiti, felicissime & ex animi sententia confecti, lætus sibimetque gratulans successu, missionem* CONCILIO *dedit, quodque* IRE *liceret, edixit. Tum vero Cœtus Dearum quantus quantus erat, satisfactum a se Phœbo omnium instar existimans, Phœbo primum applaudit, ac deinde pari vocum consensu* ILL. SPONSO SPONSÆQ; *bene apprecando suauissime quoddam carmen occinit, quod diuersis anfractibus perfluidas diffusum auras, flexibus tortuosis in quasdam quasi Labyrintheas ambages desiit, ac merito appellationem Labyrinti obtinuit*

ab ALEXANDRO RVSZKOWKI.

I LABY-

LABTRINTVS POETICVS.

ISNOPSAROPMETTOTTNTTOTTEMPORASPONSI
Snop ſaropmettot tnAnttot temporaſponS
Nop ſaropmettottnaVanttottemporaſpon
Opſa ropmettot tnauI uanttottemporaſpO
Pſar opmettottnauiV iuanttottemporaſP
Saropm ettot tnauiuRu iuanttottemporaS
Aropme ttottNauiurOruiuaNttottemporA
Ropmet tottn auiuroToruiuanttot tempoR
Opmett ottnau iurotStoruiuanttottempO
Pmetto ttnau iurotſEſt oruiuanttottemP
Met tot tnauiurotſeNeſtoruiuant totteM
EttottNauiurotſenTneſtoruiuaNttott E
Ttottn auiurotſent Itneſtoruiuanttot T
Tot tnauiurot ſentiXitneſtoruiuanttoT
Ottnau iurotſentixIxitneſtoruiuanttO
Ttnaui urotſentixiVixitneſtoruiuant T
Tnauiu rot ſentixiuTuixitneſtoruiuan T
Nauiur otſentixiutOtuixitneſtoruiua N
Auiuro tſeNtixiutoVotuixitNeſtoruiu A
VIVROTSENTIXIVTOV QVOTVIXITNESTORVIV
AuiurotſeNtixiutoVotuixitNeſtoruiu A
NauiurotſentixiutOtuixitneſtoruiuaN
TnauiurotſentixiuTuixitneſtoruiuanT
Ttnauiurotſentixi Vixitneſtoruiuant T
Ottnauiurot ſentixIxitneſtoruiuant tO
Tott nauiurotſentiXitneſtoruiuanttoT
Ttot tnauiurotſent Itneſtoruiuanttot T
EttottNauiurotſenTneſtoruiuaNttott E
MettottnauiurotſeNeſtoruiuanttotteM
Pmet tot tnauiurotſEſtoruiuanttottem P
Opmetto ttnauiurotS toruiuanttottempO
Ropmett ott nauiuroToruiuanttottempoR
Aropmet tot tNauiur OruiuaNttottemporA
Saropme ttottnauiuRuiuanttottempora S
PſaropmettottnauiViuanttottemporaſP
OpſaropmettottnauIuanttottemporaſpO
NopſaropmettottnaVanttottemporaſpoN
SnopſaropmettottnAnttottemporaſponS
I SNOPS AROPMETTOTTNTTOTTEMPORASPONS I

DE EO-

DE EODEM LABYRINTHO EPIGRAMMA.

DÆdala Cretæi fingo molimina fabri,
Quæ struit ingenio diua Patrima suo.
Hanc dare collibuit sacris Nuptalibus artem.
Ars arti hæc similis Dædale facta tuæ est.
Perplexis ibi se nectebant orbibus orbes,
Flexibus hic itidem vix sua meta venit.
Par situs vtrisque est, vtrisque sed exitus impar:
Scilicet hic felix, ille nefastus erat.
Infamem struxit cladem subeuntibus ille,
Felices SPONSIS hic vouet ire dies,
Illic decepit miseram Minoida Theseus,
Quæ rexit dociles in sua damna pedes:
Ista nouus subijt simul ac penetralia SPONSVS,
Lugebit SPONSVM non noua SPONSA suum.

IOANNES ŁACKI.

PLura erant quæ gratulabundæ canebant Musæ, quorum Symphoniaco cantu, reliqua, Heliconiæ harmoniæ addicta Iuuentus, hæc quasi

EPIGRAMMATVM COROLLARIA.

auide collecta, apposuit legenda.

IN VRSVM ET FASCIAM STEMMATA ILL. SPONSORVM.

VRsus in aduersas suetus sæuire phalanges,
Vigineum didicit nunc tolerare iugum.
Hæc captiua tamen gerit hoc sub pondere corda,
Ludit & hinc atque hinc libera colla iacit.
Cum parte ex alia fatalem Fascia nodum,
Inijcit & domitum frena tulisse docet.
Iam scio; non potuit Mauors cum Pallade iungi,
Ni, qui nodum aliquem necteret esset Amor.

STANISLAVS KOSZVTSKI.

II.

IMbellis pugnare manus, mirabile! mittit
Virgo triumphatam sub sua iura feram.
Quid me bellaces pugnas docuére parentes?
Quid mihi cum gladio fulmineisque sclopis?
Diffringas ensem Mauors Cressamq; pharetram,
Si valet exermis vincere Virgo feras.

IACOBVS WARGOWSKI.

III.

ALba caput veteres cingebat Fascia Reges;
Est modo CZARNKOVIÆ Fascia stemma Domus.
Fascia Czarnkouium vel erat sub Regibus index,
Vel Regum styrps est Czarnkouiana Domus.

ALBERTVS ZDZAROWSKI.

IV.

INtortus puro qui candet in æquore Circus,
Optima Czarnkouiæ Stemmata Gentis habet.
Non violata fides patriæ depingitur albo,
Non cessaturas denotat orbis opes.

GEORGIVS KACZKOWSKI.

V.

VRsæ quæ tanto sociata est fœdere Virgo?
Vt timido illæsum tergore ludat onus?
Quid meruit virgo, quid clara Lycaonis Arctos?
Astrigerâ vt niteant hæc duo signa domo?
Si possunt cœlis hominesq; feræq; reponi,
Vrsa hæc syderibus Virgoq; digna fuit.

ANDREAS SZOLDRSKI.

VI.

ZEuxi Psychen pingens non veles lumina peplo,
Peplum Czarnkouijs nam Dea stemma dedit.

Cernis,

Cernis in angustum quæ ducta est Fascia nodum?
Fascia Nortiacæ texerat ora Deæ.
Hicce suum posuit velum Rhamnusia: non sit
Hac in adornandâ iam Dea cæca domo.

MATTHIAS CIELECKI.

VII.

SEu te Pestani coluerunt ruris amores,
Seu Tiburtino Flora comauit agro.
Seu de Lechiacis collegit Posna viretis
Fascia, nobilibus consocianda toris.
Vt PRZIIEMIANO sis apta corona vitelo,
Dic, CZARNKOVIANA sum modo texta rosa.

ALBERTVS WĘZYK.

IIX.

AEtereas VRSA ascensu peruasit in oras,
Cum sibi syluestres desipuêre domus.
PRZYIEMIO Lucana in stemmate fulgurat Vrsa,
Sidereis illam credo rediisse plagis.
Haud nemus Vrsa velim, haud cœli viuaria prensa,
Est tua nobilior nulla futura domus.

IOANNES CHROSCIEIEWSKI.

PROSEVCTICON.

I.

VIrgo Talassæum caperet dum nupta cubile,
Et desponsati iura marita thori,
Olim cum sponso vitreos de more liquores,
Atque Prometheos tangere iussa focos.
Nolo nouis flammam ponas in limine SPONSIS.
Nolo vndas, tangat quas noua nupta manu.
En quæ SPONSORVM coiêre in vincula dextræ,
Dextræ perpetui pignus amoris erunt.

LVCAS OCTAVIANVS OLESKI.

II.

VNdâ nil credit melius, nil igne vetuſtas,
Quo naſci dignus ſemine mundus erat,
Hinc vndas, ignes hinc, ſponſus ſponſaque dextra,
Contigit iſta ſuâ, contigit ille ſuâ.
PRZYIEMSKI æterno ſociat ſibi fœdere SPONSAM,
Quod SPONSVS prenſet, SPONSAq; prenſet erit.
Raptæ exſint flammæ paruoq; è fonte liquores,
Contingit modicum non bene magna manus.
Oceanum ad poſtes Æthnæq; locate caminos,
Tangite SPONSI Æthnam, tangite & Oceanum,
Gazarum vobis ſic Ætna eructet aceruos,
Gazarum fluctus ſic vomat Oceanus,

NICOLAVS GOSLAWSKI.

III.

Amicitia abſque felle.

VIctima Iunoni ſine felle cadebat ad aras,
Dum Sponſam Sponſo conſociauit Hymen.
Fellea ne forſan diſiungeret ira maritos,
Concordes potius melle foueret amor.
Vos ô vos Sponſi, ſtrictiſsima vincula ſtringunt.
Victima grata cadat, cor ſine felle Deo.
Fel ſi defuerit, ſi ſit concordia Sponſis,
Melle ſcatebit amor, melle vigebit amor.

GEORGIVS KACZKOWSKI.

IV.

Amicus vſque ad aras.

ARgolicas inter ſtatuas fulgebat imago,
Quam binus dextris conſociabat amor.
Hic palmam prenſans verum ſignabat amorem,
Alter diffringens hoſtis amoris erat.
Cœleſti veſtrum pectus firmetur amore,
Hunc ne terreſtris frangere tentet amor.

ANDREAS ROGALINSKI.

V.

Vxor tua sicut vitis abundans. Psal. 127.

QVam bene pampineis hilarescit vinea botris,
Exhilarat charum tam bene Sponsa virum.
Vitis vina parit, surgunt de vite racemi,
Et vitis signum fertilitatis habet.
Inclyta SPONSA Tibi fæcundæ vitis ad instar,
Iuncta est PRZYIEMSCI, quæ tibi vina feret?
Talia vina feret, tales prometque racemos,
Quos Tibi SPONSE cupis, quos sibi SPONSA cupit.

MARTINVS OBIEZIERSKI.

VI.

Filii tui sicut nouellæ oliuarum. Psal: 127.

QVâ te sorte beem, quid Diuûm nomina poscam?
Inclyte PRZYIEMSKI, dic age? vota dabo.
Fors petis vt superi faciant te prole beatum,
Fors petis vt possis nomen habere Patris?
Sint tibi sint, instar, nati, vernantis oliuæ,
Vernent, vt verno tempore oliua viret.

WLADISLAVS ROGALINSKI.

VII.

Quam male inæquales veniunt ad aratra iuuenci?

DVcit inæquales si quisquam ad aratra iuuencos,
Æqualis nunquam fiet vtriq; labor.
Hic etenim totam lucem sudabit in agris,
Illum ex sudato robore sternet opus.
Si quis inæquales pariter coniungere Sponsos
Tentet, inæqualis fiet vtriq; labor.
Hæc etenim nubet, liber dominabitur illi;
Imperio dominum vel premet illa suum.
Æquales æquale iugum portabitis ambo
SPONSI, connubio quos ligat ista dies.
Sponsus opes, atauosque suos, longo ordine ducit,
Insignis tritauis SPONSA opibusq; nitet.

Quam bene iunguntur Sponsi, & consortia ducunt,
Nubit SPONSA pari, SPONSVS & ipse pari.

STEPHANVS KIERSKI.

IIX.

Lux de luce.

ROscida cum nubes Solis perstringitur igne,
Eius & vmbroso tergore flectit eques.
Auricomo binus spectatur in aëre Titan,
Ex vnoq; duplex lumine lumen habet.
Phœbus Atlantæum tricies lustrauerat orbem,
Somnificosq; mari luna reduxit equos.
Cùm gemino Lechis illuxit lumine lumen,
E Przyiemsciadûm Czarnkouidumq; domo;
Sors bona Czarnkouijs Przyiemscia stemmata vinxit,
Dum simul in Lechico fixit vtrumq; solo.
At modo cum thalami sacris ea strinxit habenis,
Quas in Sauromatas est iaculata faces?

SIGISMVNDVS ARNOLDVS.





POSNANIÆ,
In Officina Ioannis Rossowski Anno, 1621.

